



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exhortatio Ad Reditvm In Catholicam Ecclesiam, Ovicvlis Christi, Gevsiaa Tempestate Per Hollandiam Et Vicinvm Belgiov m Misere Dispersis**

**Lindt, Willem van der**

**Coloniae, 1577**

**VD16 L 1932**

8. Quod peccatum Originale cum Pelagianis impie abolent negantque in pueris, nondum in Christo renatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31553**

audebat Philippus Melanchthon impudenti ore in Deum e-  
uomere, quem & Calvinus est sequutus, Deum non minus o-  
peratum esse Iudæ proditionem, quàm Pauli conuersionem.  
Quod si verum est: quonam modo Deus est iustus dicendus, qui  
tanta seueritate peccata punit, quæ non homo, sed ipse in ho-  
mine operatur? Quo enim sensu homo peccare dicendus, qui  
non sua voluntate, sed Stoica quadam necessitate, atque in cui-  
tabili culpa commisit? Absit à Christianis auribus tanta blas-  
phemia, quam isti impij à demonibus illusi audent tanta impie-  
tate in Deum torquere.

## Caput. VIII.

*Quod peccatum Originale cum Pelagianis impie abolent, negantq;  
pueris, nondum in Christo renatis.*

*De peccato  
originali,  
quod cum  
Pelagianis  
negant Cal-  
uinista at-  
que Anaba-  
ptista.  
Psal. 50.  
Colos. 1.  
Rom. 5.*



**N** minoris est impietatis, quod Calvinistæ  
Anabaptistis hic consentientes, audent pecca-  
tum originale in pueris negare: cum disertis  
verbis Dei spiritus in Dauide doceat, Ecce e-  
nim in iniquitatibus conceptus sum. & Di-  
uus Paulus tam manifestè asserat, nos omnes  
natura esse filios iræ; quod in Adamo omnes peccauerunt.  
Hanc impietatem à Pelagianis mutuam plenè buccis concre-  
pantes, nunc pro Euangelio apud miserum populum spargunt.  
Qua fascinati non pauci, audent piam matrem ecclesiam Chri-  
stæ Catholicæ intrudere, publicisq; cantilenis, dirisq; conuitijs sub-  
fannare, Qua rima, in quibus peccatum illud in pueros intra-  
uit? quo iure sunt diaboli filij? quonam modo à diabolo sunt  
possessi? Cui Pelagianismus est notus, agnoscit quã ipsissimis  
suorum magistrorum vtantur loquendi formulis, apud D. Au-  
gustinum subinde commemoratis: cum sufficere istis deberet,  
quod per vniuersum orbem Christiani omnes suos vbiq; infan-  
tes ad sacrosanctum deferunt baptismum, in Christo regeneran-  
dos; tanta æternæ salutis necessitate, vt Apostolorum doctrina  
(teste

AD HOLLANDOS EXHORTATIO.

(teste D. Augustino Epist. 120. ad Sixtum) habeat, eos perire, & ante baptismum moriantur. Vnde liquet, quotnam puerorū milia Calvinistæ in æternam præcipitent damnationem, qui baptismum negantes eis necessarium, nisi stata illa dierum certorū hora, qua suas in miserorum pectora euomunt blasphemias, in Synagogam adferantur; non baptizant, neq; in lucem editos, si extrema urgeat necessitas à foeminis, nec à viris quidem, modò publicam prophani ipsorum ministerij non gerant personam, patiuntur baptizari.

Caput IX.

*Quod Christi Sacramenta vere abolent & negant, cum ea efficacia & sanctificantia negant. Nam ea tantum faciunt peccati umbracula & velamenta, quæ peccatum & peccati sordes, fœdasque maculas non tollunt, sed velant, non abolent & eluunt, sed tegunt.*



**S**ED Calvinistas, & Anabaptistas suo cum Pe- *De vera &*  
lagio, immo cum semijudæis Turcis, ob contē- *efficaci sa-*  
ptum Christi baptismum, relinquentes, nunc *cramento-*  
Lutheranos conueniamus, quoniam ore sacro- *rum Chri-*  
sancta Christi sacramenta cum illis audet blas- *si sanctifi-*  
phemare, suaq; coelesti illa vi & diuina prorsus *catione.*  
efficacia spoliare. Testatur D. Paulus, Deum per Baptismū nos  
regenerare ac renouare, Spiritu sancto in nos abundāter effuso  
quod isti negant, asserentes peccatū originale manere in bapti-  
zatis: pro quo etiam quotidie orandū sit, Dimitte nobis debita  
nostra. Atqui si manet peccatū: quonā modo nos Deus baptis-  
mo Christi renouat, qui execrandam peccati originalis vetu-  
statem non aufert? Quonam modo verè mundat aq; laua-  
cro, & verbo vitæ suam Ecclesiam Christus Deus, si peccato ma- *Eph. 5.*  
nente, adeoq; inquinante non liberatur? Atqui satis est, inqui-  
ant, si non obsit saluti credentium, quod peccatum habeant, cū  
eis in gratiā Christi nō imputetur. Sed istud figmentum iniuria  
est in Christum vehemēter atrox, & singulariter contumeliosa,  
quod